

Illi nempe arinis superati fortibus hostes,  
Et capti virtute DEÆ, pueriq; sagittis,  
Et teneros vinclis iam nexi mollibus artus,  
Ante triumphalem pompæ spectacula currum.  
Hos celer ille DEVS, pharetrâ metuendus & arcu,  
Et tenerum aureolis tergum pulcerrimus alis  
Iam solito formæ splendore superbior, ambos  
Fragranti é violis, thymbrâ, pictisq; hyacinthis,  
Purpureisq; rosis divino sanguine tinctis  
Ducebat vinctos, ostentabatq; catenâ.  
Sed iuxta comites timidos solantur AMANTES  
Pronuba promittens socialia fœdera IVNO,  
Iam veteres exosa iras, & iurgia Divis  
Pastor Rhethéa quæ conciliârat in Ida,  
Concutiensq; facem piceam officiosior Hymen,  
Ast illi inter se transversa tuentibus hircvis  
Halantes fundunt animas, & corda tuendo  
Expleri nequeunt. est mollis flamma medullas.  
Atq; velut Clytie formosi pallida Phœbi  
Igniferos nutus, gressusq; observat euntis,  
Præsentemq; solet veteris non inscia flammæ  
Et colere, & gratos exponere floris honores,  
Absentem lugere, suosq; abscondere fructus,  
Et desiderium dilecti prodere amici:  
Sic pulcros immite reciprocus ardor AMANTES  
Vstulat hos sine fine, nec intra pectora claudi  
Sola potest, tali sed sese promere pompâ